



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ad tertiam. Exercit. 86.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

Confusio.

Pudore suffundemur, cōsiderando, quod peccata nostra Passio-
nis Christi causa evtiterint: quodq;
cum sol iustitiæ Christus venerit, vt
illuminaret eos qui sedebant in te-
nebris & vmbra mortis, nos hanc lu-
cem sequi non curauerimus.

Petitio.

Rogabimus Deum, vt nobis lar-
giatur gratiam ipsum & proxi-
mum, pro amore ipsius diligendi, vt
verè simus filij diei & lucis, id est,
Dei, qui est amor & charitas: qui etiã
amor ipsum impulit, vt in hunc mū-
dum veniret.

Oblatio.

Eadem est, quæ in Exercitio ad
Matutinas.

AD TERTIAM.

Exercit. 80.

*Ioann. 19. Tunc ergò apprehendit Pilatus
Iesum & flagellavit, Et milites plecien-
tes coronam de spinis imposuerunt ca-
piti eius: Et veste urpurea circun-
dederunt eum, & veniebant ad eum
& dice-*

& dicebant: Aue Rex Iudaorum, & dabant ei alapas.

Ibid. Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureum vestimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Cum ergo vidissent Iesum Pontifices & ministri clamabant dicentes, Crucifige, Crucifige eum. Erat autem hora Tertia.

Consideratio.

CONsiderabimus, quomodo non inueniēte Pilato culpam in Christo; nec cum Iudæis Barrabam potius, hominem sceleratum eligentibus, conuenire valente: Pilatus ut eos placaret Christum flagellis cædi iusserit: quomodo etiam milites postquam eum flagellassent, coronam spineam capiti eius imposuerint, & purpura vestitum deriserint: & per ludibrium adorauerint ac Regem salutauerint; quem cum Pilatus ita tractatum & deformatum foras produxisset; nemo fuit qui ei compateretur, sed omnes clamabant: Crucifige, Crucifige eum.

Gra

Gratiarum actio.

Gratias agemus Deo pro omnibus
quæ in hoc mysterio passus est, &
pro beneficio Redemptionis, quod
pretiosi sanguinis sui profusione cō-
fecit.

Confusio.

Pudore suffundemur; consideran-
do, quod nostra inhonestate Chri-
stum flagellauerimus, & nostra super-
bia spinis eum coronauerimus, & pec-
cando Barrabæ illum postposueri-
mus, pluris æstimantes vilem aliquã
delectationem & sordidum hono-
rem, quam sanctissimam legem &
immortalem gloriam ipsius; quo fa-
cimus quantum in nobis est, vt nihil
nobis profit ipsius redemptio.

Petitio.

Rogabimus Deum vt nobis pro-
fundissimam humilitatem largi-
atur, vt quemadmodum ille in passi-
one sua contemptus fuit, vt etiã Bar-
rabæ latroni postponeretur: ita vt nos
ex animo contēni desideremus, no-
strique despectum amplectamur.

Obla-

Oblatio.

EAdem est que in exercitio ad Matutinas.

AD SEXTAM.

Exercit. 87.

Ioann. 29. Tunc tradidit Pilatus Iudæis Iesum vt crucifigeretur. Susceperunt autem eum & eduxerunt. Et baiulans sibi Crucem exiuit in eum qui dicitur Caluaria locum vbi crucifixerunt eum, & alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.

Consideratio.

CONSIDERABIMUS, quomodo cum Pilatus omnia ad Iudæos placandos attentasset, timeretque ne quod Iudæi ipsi comminati fuerant, Cæsaris indignationem incurreret, lotis manibus coram populo sententiam in Christum tulerit vt Crucis suffigeretur; & quomodo hac sententia accepta eum foris grauissima Cruce oneratū, ad Caluarie montem eduxerint, ibique mediam